

denti comunitarum vigore et testimonio Litterarum. Datum in Arce nostra Regia Poseniensi die decima septima Mensis Junii Anno Domini Millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo. Regnorum nostrorum Romani undecimo, Hungariae et reliquorum vigesimo secundo, Bohemiae vero Anno vigesimo.

Ferdinandus m. p.

Georgius Szelepcsény m. p.

Electus Episcopus Nitriensis

Georgius Orozy m. p.

(Locus Sigilli Regii, in zona sericea coloris albi, cerulei, flavi, et rubri pendentis.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 139.

CCVIII.

Anno 1670. die 6. Augusti. Viennae.

Leopoldus Rex se Banum brevi nominaturum aliisque postulatis SS. et OO. remedium laturum promittit.

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniae Hungariae Bohemiae etc. Rex.

Reverende, Honorabiles, Spectabiles Magnifici, Egregii et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti. Tam iis, quae per Ablegatos Vestros, fideles utpote nostros, Egregios Ludovicum Vagich, Zagrabiensis et Criesiensis, nec non Franciscum Ladanyi, Varasdiensis Comitatum Juratos Notarios, penes Literas Credentiales oretenus, quam etiam per certas alias quasdam Literas Vestras, medio eorundem transmissas nobis praesentanda habuistis clementer intellectis, etiamnum priori benignae nostrae in negotio Banatus officii factae resolutioni inhaerendum, et consequenter collationem eiusdem aliquantisper adhuc suspendendam esse duximus: Fidelitates vestras in eo assecurantes, beneque de nobis sperare cupientes, quod rationibus vestris praetacto in negotio allegatis Vos quoad idem Officium brevi paterne declaraturi, et circa alia quoque postulata vestra condigna et opportuna quamprimum adhibitori simus remedia, ita ut publicae quieti et tranquillitati iuribusque ac libertatibus Vestris illibate conservandis, paterno affectu a nobis provisum esse certo cognoscatis. Interim autem nulli dubitamus quin exiguum hanc moram aequo laturos sitis animo. Gratia